

negat, *pœnas, quas Filio suo inflixit DEus Pater profectas fuisse à DEo iratò peccatis totius generis humano in eo recumbentibus, Hæreticam esse & omninò blasphemam, & concludit § 283. DEum Patrem ergà Filium suum sub relatione satisfactoris pro peccatis generis humani consideratum verè exercuisse actum justiciæ & vindicis irati.* Confer Psalm. LXIX. 2. 3. 4. Deinde adductis & explicatis verbis Esaiæ cap. LII. 4. §. 284. 285. & 286. inde ita colligit, Dominum Jesum in se peccata generis humani suscipiendo, portando & bajulando &c. iram DEi in se suscepisse, adeoque hoc ipso contra se acuisse justitiam DEi vindicatricem, §. 291. inquit; *Quamvis persona Christi in se & per se absolutèque sub odium DEi Patris non cadat, cum essentiali amore illam personam filii sui Pater amet, relatè tamen quatenus illa persona Christi in judicio DEi representat universi generis humani peccata, odium divinum experitur.* Vide ibidem plura ad rem hanc facientia. Distinguendum quoque hoc loco inter *statum & sensum gratiæ*. Fuit Christus pro peccatis humani generis satisfaciens maledictum secundum humanam naturam, non quoad *statum gratiæ*, in quo per se semper fuit, in ipsâ etiam passione & morte, sed quoad *sensum gratiæ*, qui ipsi ad tempus denegatus & loco ejus gustus iræ divinæ propinatus fuit, ita ut non horrorem tantum, sed & *pœnas ipsas damnatorum infernales*, quas *κατάρα* essentialiter includit, sustinuerit. Confer. Psalm. XVIII. 5. & 6.

§. 9. III. Graviter hîc quoque errant *Pontificii*, statuentes *a.* Christum similitudinem tantum hominis à DEo maledicti igessisse, & pro tali reputatum esse ab hominibus. *Dicitur, inquit Estius Com. in h. l. (Christus) factus pro nobis maledictum, quia pro nostrâ redemptione ac salute crucifixus similitudinem gessit hominis à DEo maledicti & pro tali reputatus est ab hominibus.* Emanuel Sa ait in notis ad h. t. Christum maledictum factum *opinionem hominum*, & Tirinus, in Com. ad eund. loc. quod sit factus *κατάρα hominibus, propter supplicium crucis, quod sustinuit.* Sed hæc omnia eò tendunt, ut imputatio peccatorum nostrorum Christo, & imputatio justitiæ Christi credentibus facta negetur, quam tamen disertis verbis Apostolus confirmat 2. Cor.

Cor.